

id faciendum plurimorum principum, qui tum ibi aderant, in re militari peritissimorum consilio determinatum est LX vel ad summum LXX hominum milia satis superque fore, dummodo classis maritima triremium necessaria cum onerariis navibus adderetur. Ungari, ut diximus, una cum pontificis maximi subsidio XXII milia equitum obtulerunt, illustrissimus Burgundiae dux sex milia armatorum, summus pontifex cum potentissimis italicis classem maritimam sufficientem, inclita Germaniae natio XLII milia armatorum, ut sit omnis numerus militum circiter LXX milia hominum. Cum quibus et regis Boemiae non M 61^v mediocre praesidium et multos, dumtaxat religione et fidei zelo, con-10 venturos facile est cogitare. Nisi ergo pontifex maximus, nisi Burgundiae dux, nisi Ungariae regnum, nisi Italiae potentiae promissa sua servaverint, nulla vos obligatione astricti eritis. Si vero promissa servaverint, quid ni victoriam habetis in manibus? Nam et numerus sufficiens est et vestri milites sunt rerum bellicarum experti. Antiqua 15 quippe sententia est: Exercitata paucitas ad victoriam promptior quam rudis et indocta multitudo exposita semper ad caedem. Enimvero in omni conflictu non tam prodest multitudo, quam virtus. Fabius Maximus, Cunctatoris filius, apud Arpos praesidio Hannibal's occupatos considerato situ urbis sexcentos misit milites obscura nocte, qui per munitam eoque 20 minus frequentatam oppidi partem scalis in murum evectis portas revellerent. Hi adiuti aquarum decidentium sono, qui operis strepitum obscurabat, iussa peragunt. Ipse dato signo ab alia parte aggressus cepit Arpos et, quod viribus non potuerat, rei militaris experientia perfecit. Quis dubitat Germanos, qui praeter corporis et animi vires 25 bellicarum etiam rerum doctissimi semper sunt habiti, etsi numero pauciores imbellem et ignaram Turcorum multitudinem facile superaturos? Quid ergo obest, viri praestantissimi, huic rei initium dare? Nullum ex hoc damnum, nullum periculum sequi potest. Si nos dederimus principium, Deus ipse, cuius res agitur, felices praestabit successus. 30 Abundabit nobis caelum desuper. Effudent montes iucunditatem et colles laetitia laetabuntur. Dabit Deus pacem finibus nostris, et non erit, qui exterreat. Prosequemur inimicos nostros, et corruent coram nobis.

Eia igitur optimi viri, eia Christi fideles dimisis verbis, reiectis amfractibus et diverticulis prudentem simplicitatem induite. Rem hanc, 35 tam sanctam, tam necessariam, tam Deo gratam pura mente et integerrimo corde inchoate. Quid principes vestri possint, vel potius quid velint? Possunt enim longe plus, quam rei necessitas postulet, singuli dicite! Sequimini gloriosissimum dominum Romanorum imperatorem, qui cum sit vestrum omnium caput, primus portionem suam libentissime obtulit et ad id personam quoque suam Deo devovit. Imitamini serenissimum regem Boemiae, cuius amplissimam oblationem supra retulimus. Imitamini illustrissimum Burgundiae ducem, qui cum sit ex Germaniae

principibus non mediocris auctoritatis, omni mora amputata partem suam pollicitus est. Quid tardatis? Quid alter alterum spectatis? M 62 Summa gloria erit in hac re primum fuisse. Magna certe ex parte adsunt hic per legatos suos germanicae potentiae. Non multi sunt, qui 5 desunt, qui si senserint vos de parte vestra conclusionem cepisse, nulla difficultate id ipsi quoque extemplo facient. Nos vero etsi corpore invalidi et valetudinarii simus, si necesse erit, ostiatim singulos adibimus. Alloquamur eos viritim, nisi ipsi quoque consenserint, nec dimittemus: Sic Deo, sic iustitiae, sic fidei debitum solvetis? Sic famae, B 89 10 sic gloriae vestrae consuletis? Quod si talibus non movemini, moveant vos preces apostolicae sedis, quae cum mater vestra sit et iubendi potestatem habeat, rogare atque precari filios suos non dedignatur, salutem dumtaxat vestram et aliorum fratrum vestrorum materna caritate conquirens. Apostolica sedes hoc pro vobis petit, hoc ipsa pro vobis 15 poscit, hoc ipsa flagitat, instat, urget non cessatura, antequam impetret. Importuna in evangelio mulier tandem meruit audiri. Et clauso cum servis ostio, media licet nocte, ab amico amicus panes accepit. Deus ipse, qui nullius superari viribus potest, publicani precibus vincitur. Ninive civitas, quae peccato periit, fletibus stetit. Vos, fideles filii, piissi- 20 mam matrem vestram vetulam hanc, si vires vestrarum spectemus, et parvam et facilem et promissam ac debitam etiam importune petentem reiicietis? Et ut aures Dei adversum vos lacrimis impleat, patiemini?

Nam quod de novo capitulo de Galliarum serenissimo ac potentissimo rege dicitis, non dubitamus eum tamquam christianissimum principem, 25 dum maiore praesidio opus fuerit et requiretur, ea facturum, quae suo et maiorum suorum gloriosissimo nomine digna fuerint. Nunc, quod cum bona venia vestra dictum sit, curam hanc pontifici maximo et imperatoriae maiestati relinquere debetis et ea vos agere, quae promisistis, cum satis superque sint ad propositum nostrum perficiendum. Idem responde- 30 mus ad ea, quae subiunxitis de rege Poloniae, quem tamen non dubitaremus in hac re promptissimum fore, nisi animus eius sanctissimo domino nostro dumtaxat iustitiae ac libertatis ecclesiasticae et imprimis vestra causa ob defensionem ordinis Theutonicorum nonnihil esset infensus et ad- versus ipsos Theutones bello occupatus. De transitu vero copiarum per 35 christianorum principum loca, qui tuto fieri possit, in Ungariam, quae tandem dubitatio est, cum per Germaniam solummodo, hoc est per suos, sit transiturus exercitus? Quod si quid in hac patria novi emerget, facile semper esset remedium. De provisione autem expertorum virorum, de militum concordia profecto relinquendum onus ei videtur, qui exer- 40 citus imperator designabitur, cuius humeris eiusmodi sollicitudines in- M 62 cumbunt. Designatio vero eius, qui copiis praesit, iudicio summi pontificis et sacratissimae imperatoriae maiestatis sine dubio relinquenda est, quibus praecipue honor et gloria romani imperii et gubernatio popu-

lorum curae esse debet. De tempore traducendi exercitus, quantumve duratura sit expeditio, de subsidiis, quibus principes ac populi ad sustentandum exercitum uti possint, de provisionibus faciendis, ubi aliqua clades, quod Deus optimus avertat, Christianis infligatur, de Christianorum exercitu, quando necessitas urgeret, augendo et aliis multis 5

B 89^v ad hanc sanctam expeditionem necessariis profecto et sermo habendus est et saepe et diligenter discutiendum. Verumtamen haec fieri oportebit, cum de instituendo exercitu conclusum erit, vel hic, si ita iudicaverimus, vel alibi, si forte novus pro deliberatione huiusmodi rerum conventus indicendus videbitur. Quod enim vos nequaquam sufficientibus mandatis 10 instructos esse dicatis, facile nobis persuadet animos vestrorum principum satis ad hanc rem tepidos esse. Sciebant enim haec omnia primo in Nurimbergensi conventu fieri debere, deinde in curia imperiali. Nec praeterea ignorabant, quod, cum ipsi neque in primo neque in secundo conventu comparuissent, res ad Kalendas Septembres dilata fuisse. 15 Scripsit eis serenissimus imperator. Scripsimus nos. Ut legatos cum plena potestate mitterent, hortati sumus. Scripsit denuo sanctissimus dominus noster ad omnes ita obnixe, ut vel saxeum pectus flectere potuisset, et tamen partim non miserunt, partim sine mandatis, ut vos dicitis, miserunt. Ex quo facile coniici potest, quid amplius in 20 aliis conventibus sperandum foret.

Quod autem victoribus christianis iamiam de divisione spolio- M 63 rum cogitandum esse iudicastis, profecto bono nos animo esse fecit.

Est enim quasi certissimum quoddam victoriae praesagium, quam nobis Deo propitio affuturam non dubitamus, si volueritis. Nec ambigi- 25 mus Dominum nostrum Iesum Christum ducem nostrum futurum, qui, ut Augustinus ait, quando pugnatur, apertis caelis spectat et partem, quam inspicit, iustum defendit. Hic aderit nobis. Hic victricia signa praecedet. Hic vindex noster erit. Terrorem suum mittet in praecursum nostrum et occidet omnem populum, ad quem ingrediemur, cunctorumque 30 inimicorum nostrorum coram nobis terga vertet. Cuius virtus est pro se pugnantes non derelinquere, sed parva grandia facere et rerum infirmitatem suo nomine roborare. Verum nos cogitationem hanc de dividendis spoliis in praesentia abigamus, ne magis avaritiae quam honestati studere videamur. Providebit ei rei cum pontifice Caesar et, quod 35 christiana reipublicae commodum erit, interveniente principum vestrorum consilio suo tempore deliberabitur. De societate vero cum principibus Turco vicinis obeunda et necessarium est consilium. Etiam sanctissimus dominus noster huic rei operam dedit. Consilia cum multis habuit habetque frequenter, speraturque nostros vicinorum non modo christianorum, 40 sed etiam infidelium non mediocre subsidium habituros, prout loco et tempore suo latius disseretur. Audivistis igitur a nobis, praestantissimi viri, abunde ad ea, quae proposueratis, responsum. Audivistis desiderium

nostrum. Quae nostra sit petitio, intellexistis. Petimus certe rem iustissimam, ut videtis, facillimam, optimam et omnium maxime necessariam.

Differre amplius hanc rem et novos conventus instituere perniciosum B 90 est. Columna Dei viventis iam nutare coepit, nisi celeriter succurramus. M 63^v

5 Sagena summi piscatoris intumescentibus continue procellis cogetur in profundum submergi. Agitur iam septimus annus, ex quo tractari apud vos tam grave negotium coepit. Indicti sunt iam plurimi conventus: Ratisponenses, Francofordienses, Neostatenses, Nurimbergenses, Vienenses. Ex omnibus nihil praeter bona verba et magniloquentiam reportatum est, ac hostis noster continue vigilat, serpit, grassatur, lucrefacit semper. Nos semper perdimus. Crescit ille continue, nos debilitamur. Proxima aestate amplissimam illam atque opulentissimam Peloponessi provinciam nos quidem amisimus, ille subiugavit. Supra CCCC munitissima oppida ditioni suae subiecit, ultra quindecim Christianorum milia nefario 10 gladio crudelissime interermit, circiter XXX milia insontium animarum in turpissimam servitutem adduxit, omnem regionem ferro ignique consumpsit. In Ungaria vero hoc ipso tempore strages maximas fecit, supra XX milia hominum captivos duxit, Covino oppido et situ et natura loci oportunissimo potitus est. Nos vero eloquentiam exercemus, 15 nos conventus instituimus. Nos diem de die ducimus. Libet exclamare: o Deus bone, in quae nos tempora reservasti, ut haec videamus, ut haec audiamus. Inutile est amplius in huiusmodi conventibus terere tempus. Restat, ut apostolica sedes semel intelligat nihil a nobis sperari posse, 20 ut saltem pro viribus suis miserum illud atque afflictum Ungariae regnum tueri conetur. Quod si non poterit, sicut certe non poterit Christianis nolentibus, excusationem merebitur apud Deum et homines. Fecit enim pro viribus suis, fecit supra vires. Vos vero, quod ultra sequetur, videbitis. Cupio in hac re vanum ac mendax meum fore iudicium; sed mihi M 64 credite, si forte, quod avertat Deus, succumbet Ungariae regnum, proximi 25 vos in periculo eritis, proximi Boemi, proximi Australes, proximi Bavari. Tunc sero et nobis quaeretur medicina, tunc frustra aliorum auxilia implorabitis.

Retinet fortasse vos ac ab opere sanctissimo retrahit suspicio pecuniarum. Audivi enim quosdam privatim questos fuisse, quod hae usae 35 forent ad exhauriendam pecuniis provinciam et ad id solummodo tendi, ut decimae exigerentur, quae postea in usus nostros devenirent. Deus det illis animum meliora dicendi, qui talia loquuntur. Nos et saepe diximus vobis et nunc clara voce testamur ac in conspectu Dei vobis omnibus affirmamus sanctissimum dominum nostrum non pecunias a vobis, B 90^v 40 non argentum, non aurum quaerere, sed militem, sed exercitum, sed promissorum fidem. Praelati, quibus cogendarum copiarum onus iniunctum est, nullas decimas solvent, nihil aliud ab eis exigitur quam bene instructus exercitus. Qui vero ab hoc onere exempti sunt, cur decimas

solvere recusent, non quae in romanam curiam transferantur, sed quae hic expendantur expeditione exercitus, ut puta sagittis, comptibus, missilibus plumbatis, hastis, pulveribus, funibus, scorpionibus, machinis, curribus falcatis, aurigis, bigis, quadrigis, trabibus ceterisque ad instructionem tanti exercitus necessariis. Nec per nos aut quaestores nostros 5 expendantur, sed per vos ipsos. Addimus etiam, quod, si modus iste decimorum vobis vel molestus esset vel inutilis videretur, et alium nobis ad instructionem exercitus sufficientem proponeretis, prompti M 64^v paratiique erimus, ut certe nunc sumus, desiderio vestro satisfacere, omnem modum, omnem viam nobis gratissimam fore, dummodo optatus 10 finis copiarum haberetur. Nihil summus pontifex sua, nihil romanae ecclesiae gratia facit. Non sibi vel laudem quaerit vel lucrum, sed pro fide, pro religione populi christiani laborat. Et imprimis huius inclitae nationis, quam discrimini proximam esse cognoscit, procuratorem sese constituit. Communem rem agit tamquam populi christiani pater, 15 magister et doctor et ut catholicae fidei caput et defensor. Nonne per immortalem Deum a principio pontificatus sui in turbulentissimo rerum ecclesiae statu, tempore suspiciosissimo et pleno insidiarum personam suam debilem et morbis afflictam summo viarum discrimini bieme media commisit? Tot labores sustulit, qui etiam robustissimis 20 magni viderentur? Omnem statum neglexit pro communi salute, et qui vitam in discrimine ponebat, opibus etiam non pepercit. Exposuit certe usque in praesentem diem pro communi negotio, connumeratis, quae per absentiam suam ab ecclesiae patrimonio perdidit quaeque pro locorum suorum custodia praeter consuetum morem expendit, supra 25 CL milia aureorum. Tenuit iam tot annis et tenet cum magno stipendio in Ungaria legatum suum. Ungaris ultra XX milia ducatorum, quibus se, dum praesidia vestra parantur, sustentare possint, iam misit. Totidem propediem ad eosdem missurus dicitur. Me vero apud vos non sine magno sumptu, utinam non frustra, tot iam mensibus tenet. Misit 30 etiam in Galliam, in Hispaniam, in Angliam legatos suos, praelatos in B 91 signes, omnes cum maximis sumptibus, quos non de decimis aut aliis christiani populi suffragiis, sed de aerario suo, quod certe satis tenue est, minuendo proprias et necessarias impensas et fecit et facit. Nec minus tamen omnium reddituum suorum et spiritualium et tempo- 35 ralium decimam solvit. Hunc vos, Germaniae pontifices et praelati, M 65 vos enim nunc et praesentes et absentes alloquor, hunc inquam imitari ac sequi debetis.

Imitari debetis reverendissimos dominos sanctae romanae ecclesiae cardinales, qui diei et aestus pondera cum summo pontifice in 40 catholicae ecclesiae gubernatione sustinentes primi omnium sua sponte decimas et solverunt et solvunt, cum tamen nonnulli inter eos sint, quibus teste Deo et conscientia mea vix ad vitae necessaria suppetant

facultates. Proponite vobis parumper, quot periculis praestantissimus ille pater cardinalis sancti Angeli, Germaniae et Ungariae legatus, totiens personam suam exposuerit, qui quotidie inter barbaros, inter infideles, inter crucis saevissimos persecutores versatur parvis viribus, non sine 5 vitae discrimine. Considerate eos, qui ad Hispanias, Gallias, Britannias profecti sunt. Taceo de inutili persona mea, qui tot beneficiis a Deo et ecclesia cumulatissime honestatus, quicquid efficero, nihilominus sum dicturus: Inutilis servus sum, Quod debebam facere, feci. Atque utinam hoc ipsum digne dicere possim. Nec tamen recuso, quamquam vires corporis 10 animo non respondeant, omnem pro hac re labore, omnem sollicitudinem, omnes angustias, omnia denique vitae pericula sponte subire.

Experciscimini igitur, ecclesiastici Germaniae principes, expurgisci-
mini aliquando atque surgite, et qui sitis, quod vestrum officium sit, quid
vos deceat, animadverte. Erigite parumper in caelum oculos nec semper
15 inglorii ac desides humi defixos vultus tenete. Ideo locati estis in emi-
nenti, ideo episcoporum nomen adepti estis, ut superintendatis ac
contemplemini omnia, ut subditorum vestrorum curam geratis, ut
oppressos sublevetis. Vos di estis, vos angeli, quibus fidelis populi
cura commissa est. Vos estis reges vos ipsos et alios in virtute regentes.
20 Vestrum est regnum ecclesiae Dei. Hoc designant coronae illae, quas in
capitibus fertis. Cur datum vobis a Domino pastoris nomen censem, nisi
ut gregem eius et pascatis fideliter et a lupis diligenter custodiatis?
Quid est autem pastores a lupis suos greges debere custodire, nisi epis-
copos et sacerdotes populum christianum a barbarorum et infidelium
25 oppressione debere defendere? Requiretur aliquando ratio administra-
tionis nostrae et, nisi nos recte gesserimus, clamabit adversum nos Domi-
nus dicens: »Dispersae sunt oves meae, et factae sunt in devorationem M 65^v
omnium bestiarum agri, et non erat, qui requireret. Propterea, pastores, B 91^v
audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus, quia pro eo quod facti
30 sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium
bestiarum, eo quod non quaesiverunt pastores gregem meum, sed pasce-
bant semetipsos. Propterea, pastores, audite verbum Domini. Haec dicit
Dominus: Ecce ego ipse super pastores; requiram gregem meum de
manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem meum,
35 nec pascant amplius pastores semetipsos.« Clamabit iterum dicens:
»Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo
Israel, ut staretis in proelio in die Domini.« Clamabit tertio: »Vos, o sacer-
dotes, qui fallitis nomen meum. Sacrificium non accipiam de manibus
vestris.«

40 Haec quaeso parumper consideremus, haec mentibus nostris revol-
vamus. Cogitemus nos ecclesiarum nostrarum non dominos esse, sed

procuratores. Ideo nobis commissa procuratio est, ut utiliter dispensemus. Non, ut servet, aurum habet ecclesia, sed ut eroget et subveniat fidelium necessitatibus. Quid aurum custodire volumus? An, ut venientes barbari a nobis arripiant? Quis ignorat, quantum auri atque argenti olim de templo Dei Assyrii sustulerunt? 5 Enimvero longe praestabilius est sacerdotem conflare aurum et argentum, ut barbaros a suis finitimorumque cervicibus arceat, quam exspectare, ut sacrilegus et cruentus hostis asportet. Nonne dicturus est: Domine, cur passus es tot populos mori? Et certe habebas aurum, quo eos tuereris. Cur tot mactari, tot in turpissimam servitutem venire permisisti? Certe melius fuerat, ut vasa 10 viventium servares, quam metallorum. An ad ornatum templorum servare aurum volumus? Atque, ut Ambrosius inquit, aurum sacramenta non quaerit, nec auro placent, quae auro non emuntur. Ornatus sacrorum redemptio captivorum est, et vere illa sunt vasa pretiosa, quae redimunt animas a morte. Ille verus est thesaurus Domini, qui operatur id, quod 15 sanguis eius operatus est. Crates, ille Thebanus, homo tempore suo opulentissimus, cum ad philosophandum Athenas proficeretur, dum taxat ne suum impediretur studium ingens, auri pondus abiecit. Romanae mulieres adhuc gentiles, cum aerarium publicum Carthaginiensi bello exhaustum foret, omnem argentum aurumque ornatum in reipublicae 20 subsidium contulere. Eaedem in obsidione Capitolii corruptis iugi ac longa fatigione tormentis abscissois crines viris suis obtulere pugnantibus reparatisque machinis adversariorum impetum repulerunt.

Nos praelati, nos ecclesiastici, nos Christi clerus, qui heri aut nudius tertius ignoti, pauperes ac tenui victu contenti eramus, nunc vero in 25 summa rerum fastigia, in dignitates, in divitias, in rerum omnium abundantiā per plagas, per passionem, per effusionem sacratissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi erecti ac auro suffarinati sumus, ne duo, ut ita loquar, aut tria minuta aera ex loculis nostris extrahamus, Christum abnegabimus? Quid enim est aliud Christum abnegare, quam id agere, 30 quod agimus? Profecto, si non iuvamus Christianos, nos ipsos Christianos esse negamus. Qui vero Christianum negat, Christum abnegat. Dominus enim non ait Petro discipulum meum te esse negabis, sed me negabis. Negavit ergo ipsum, cum se discipulum eius esse negavit. Quod si vasa ecclesiarum pretiosa pro captivorum quorumcumque redemptione vendi oportere 35 omnia iura testantur, quis nisi crudelis ac vere saxeus et ferreus pro salute populi christiani, pro defensione fidei nostrae, pro Christi salvatoris nostri gloria exiguum pecuniolam solvere dubitabit? Exiguum est enim, quod unumquemque vestrum tangit, et comparatione eorum, quae frustra in mundanis rebus exponimus, contemnendum. Scimus quosdam nuper 40 ex coepiscopis nostris tuendarum ecclesiarum suarum gratia maximos in bello sumptus fecisse, omne amicorum praesidium advocasse, ipsos in bellis strenue interfuisse. Quod si praetermisissent, non tam eorum

fuisset fortassis laudanda patientia, quam negligentia culpanda. At nunc si non privata unius ecclesiae gratia, sed pro universali Dei ecclesia, non dicam tantum, sed pusillum aliquid fecerint, nonne ab omnibus iudicabitur, quod hucusque fecerunt, non tam tuendarum ecclesiarum suarum, 5 quam sui ulciscendi gratia fecisse? Vos vero, saeculares principes, qua voce, quo vultu, qua fronte compellerem, non video, cum in nobis ipsis, qui vos non oratione, sed exemplo movere debemus, tantam, ne quid gravius dicam, duritiem conspicerem. Nescio, fateor, quo me vertam, aut quibus vos excitem verbis. Vestrum interest considerare gladium non 10 sine causa vobis esse concessum. Dei enim ministri estis et vindices adversus eos, qui male agunt, constituti. Quod nisi in tanta rerum necessitate, in tanta Christianorum persecutione, in tot veri Dei iniuriis ac contumeliis animos vestros in barbarorum ultionem convertatis, cavete, ne vociferetur de caelo Dominus: »Dimisisti virum dignum morte de 15 manu tua, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo eius.«

Sed ut in omnes pariter sermonem meum convertam: Abigite, quaeso, abigate a vobis tantam istam tarditatem, socordiam atque duritiem. M 66^v Induite viriles ac religiosos animos. Nolite amplius diverticula quaerere. 20 Nolite novos conventus cogitare. Dimitte iam verba illa: cum ceteri facient, nos quoque faciemus; cum movebuntur ceteri, ipsi quoque movebimus. Cum caelum terrae coniungeretur, tunc equites centum in B 92^v Turcos mittemus. Pudet nos haec audire. Pudeat vos ita dicere. Aggredimini magna. Reddite partem ei, qui vobis dedit universum. Nolite 25 pati, ut re infecta hinc discedamus. O pestiferum rei exitum atque funestum, si ita erit. O exuvias tuas, Pie pontifex, inanes. O flebiles vigilias. O spem infelicem. Haec erunt, quae de tuis Germanis exspectabas? Haec erunt, quae de illis semper pollicebaris? Considerate finem rei, diligenter exitum perpendite. Si voluerit Christianorum calamitas, ut sine 30 conclusione ad eum, qui me misit, revertar, omnis labor praeteritus, omnes sumptus, omnia studia evanuere. Potentissima Italica natio promissa statim grandia illa subsidia revocabit. Praesidia maritima, quae etiam extra Italiam summus pontifex paraverat, dissolventur. Turcis finitimae gentes, quae hac unica spe, ne se hostibus dederent, tenebantur, 35 sponte se crudelitati hostium subiicient. Extollet barbarus animos, infelices Christianorum animas acrius ac crudelius persecetur. Omnia diripiet, vastabit, incendet, maria terrasque miscebit. Nemo ei amplius resistet. Quid plura? Sequetur Christianorum pernities. Horum omnium malorum causam vos fuisse et dicent omnes et sentient. Requirit 40 Deus Christianorum sanguinem de manibus vestris. Violatio fidei vestrae universis christianis principibus patebit, manifestabitur, explicabitur.

Veniet ad aures Dei clamor infeliciū animarum. Ecclesia debitum suum a vobis vel, si ipsa non poterit, pro illa Deus exiget. Si honorem vestrum non contemnitis, si non parvipenditis gloriam, si animarum vestrarum salutem caram habetis, haec omnino diligenter considerate. Servate fidem, quam promisistis. Solvite votum. Ferte opem ruentī reipublicae christianaē. Resistite impii ac nefarii hominis crudelissimo furori. Miseremini animarum indigne afflictarum. Funestas faces a Dei sanctuario repellite. Denique vobis ipsis, rebus, fortunis, filiis vestris consulite, quibus nisi provideritis, non longe post simile imminere posset exitium.

10

Sed satis superque verborum fecimus, satis dissolvimus rationes nostras, satis, quid vobis agendum sit, declaravimus. Nunc seposita auctoritate, dimissis rationibus ad gratiam, ad preces, ad supplicationes et quasi ad lacrimas nos convertimus. Imploramus misericordiam M 67 vestram. Implorat nobiscum una infelicissima Christianorum innumera- 15 bilisque caterva, quos omnes ante genua vestra provolutos fingatis. Orant omnes, obtestantur, deprecantur per vos, per fortunas vestras, per virtutem ac religionem vestram, per ea, quae vobis carissima sunt, nihil aliud nisi, ne eorum animas deseratis. Plura ne dicam, tempus prohibet. Nunc breviter concludamus. Omnis iam conventus, omnis 20 B 93 dieta supervacua est, nisi dato ante principio. Audivistis, quid glorio- sissimus dominus imperator, quid illustrissimi ducis Burgundiae legatus fecerint. Obtulerunt portionem suam aperte vobis omnibus praesentibus. Idem omnes facere decet. Sic dabitur huic rei felix initium. Erumpat tandem vera et vobis immo principibus vestris digna vox. Unusquisque 25 vestrum primo clare et expresse pronuntiet, an princeps suus non verbis, sed re atque opere huic sancto negotio adesse et fidem servare velit. Secundo, quid quantumve quisque facere proponat, quod a vobis sufficienti obligatione et sub mandatorum virtute promittendum est addita conditione, si ceteri idem fecerint, tot scilicet, quot numerum 30 XLII milium armatorum implere possint, ne res in infinitum deducatur, et si omnia, quae supra dicta sunt, instructa in tempore ac parata fuerint. His pactis et certa a vobis promissione habita de ceteris omnibus rebus ad hanc expeditionem necessariis imprimisque de conditionibus superius memoratis tractare poterimus. Quod si aliis conventus ad 35 ea pertractanda necessarius visus fuerit, interveniente imperiali auctoritate unanimi consilio decernemus.

Bessarionis

B 93

**Eorum, quae post proximam eius Replicationem secuta sunt,
Brevis et succincta Narratio.**

Cum haec itaque publice recitata fuissent, petierunt oratores exem- M 67^v
 5 plar sibi tradi, quo habito triduo inter se consuluerunt. Die vero quarto
 hunc in modum responderunt. Mirari se primo dixerent, quod nos id ab
 eis tamquam debitum posceremus, cum nemo eorum meminisset, immo
 aperte omnes negarent principes suos umquam exercitum vel parti-
 culare aliquid promisisse. Secundo perstare se in proposito dixerunt
 10 et novum conventum petere, rationes easdem, quas prius, adduxere,
 praeter id nihil dicturos esse. Quibus auditis nos primum quidem et
 scriptis ex imperialibus registris, in quibus promissio imperatoris et
 principum Mantuae facta continebatur, publice lectis et testibus ex his
 15 ipsis, qui aderant, probavimus. Nam cum quosdam ex eis publice inter-
 rogavissimus, an Francfordiensи conventui, quosdam etiam, an Man-
 tuano interfuerint, et quid in iis gestum exstitisset, et interfuisse se et
 in iis principes Germaniae partim per se ipsos, partim per oratores suos,
 20 etsi non singulos portionem suam, cunctos tamen summam XLII mili-
 um militum pollicitos fuisse affirmarunt. Quae cum intellexissent, ipsi
 quidem oratores obmutuere. Ceteri vero, qui aderant, non parum ad-
 mirati sunt, quod eiusmodi se rationibus excusare niterentur. De secundo
 autem nihil in praesentia locuti sumus, cum in prima responsione nostra
 satis plene ad omnia dixissemus. Sed postridie eius diei cum omnes
 seorsum vocavissimus, multa cum eis contulimus. Petivimus ab iis
 25 nonnulla, ex quibus intelligeretur, an fructus aliquid novus conventus, B 93^v
 si indicaretur, esset allaturus. A quibus cum omnino de ea re desperan-
 dum esse didicissemus, ne tempus amplius nequ quam tereretur, ea,
 quae sequuntur, pro exitu et fine rei tradenda omnibus iudicavimus.

BessarionisB 93^v**Oratio habita****Pro Fine et Solutione Conventus Viennensis.**

Vellem, praestantissimi oratores, atque utinam ita nobis divina boni- M 67^v
 tas concessisset, ut alium huic nostro conventui tam sanctis tamque
 necessariis causis instituto et longe ab hoc diversum finem imponere

B = Cod. Vat. lat. 4037 P. I. — M = Cod. Mon. lat. 4016. — Ch = Chmell.

5 quo habito B quibus habitis M | 8 unquam B nunquam M | 10 adduxere B
 addixere M | 13 his] literis Ch | 17 iis B his M | 19 affirmarunt B] M om. | 21 eius-
 modi B huiusmodi M | 21 excusare B excusari M | 24 vocavissimus B .vocassemus M |
 Petivimus B Petiumus M | iis B his M | 32 praestantissimi] M add. viri ac principum
 Germanie.

potuissemus. Sed vetus ac probatissima sententia est: Elaborandum in rebus optimis, quantum licet; quodcumque tamen ad extremum acciderit, tenendum. Nos quidem delegatae nobis ab apostolica sede provinciae, quantum vires nostrae ferre potuerunt, et animo et corpore incubuimus. Elaboravimus, ut necessitati fidei, ut summi Dei religioni, 5 M 68 ut pontificis maximi desiderio, ut debito nostro, nostris promissis, nostrae fidei satisfaceremus. Adduxistis rationes plurimas, quibus, ut existimatis, quae dicebatis, iustificaretis. Efflagitastis, ut novus conventus indiceretur, cui imperatoria celsitudo interesset. Eo principes vestros omnes facile eo casu per se conventuros asseruistis. Rationes nos 10 vestras nostris firmissimis verissimisque rationibus facile resolvimus. Quam pernitiosa foret de novo conventu cogitatio, demonstravimus. Ad dandum huic sanctissimae rei initium hortati sumus. Rogare vos, precari, supplicare, lacrimis vobiscum agere non erubuimus. Vos tamen — o duram temporum conditionem! — in sententia permansistis. Iratus 15 nobis propter peccata nostra est Deus, et secundum vocem prophetae obscuravit Dominus in ira filiam Syon et deiecit de caelo gloriam Israel, nec recordatus est scabellum pedum suorum in die irae sua.« Submersit Dominus omnem decorem Israel et omnes macerias eius destruxit. Exaltavit dexteram inimicorum nostrorum et avertit adiutorium gladii 20 sui et non audivit nos in bello. Paucos fecit dies nostros et super omnia effudit super nos confusionem. Contradicere rationibus nostris non potuistis, quin potius responsum nostrum et publice et privatim laudastis. Sed tamen novum dumtaxat conventum petere et in eo instare principes vestros dixistis, praeter hoc nullam vos potestatem habere 25 affirmantes.

In hac rerum difficultate, quod minus in se mali haberet, amplectendum rati et, si non libenter ad indicendum conventum aducebamur, experiri tamen imperatoriae maiestatis animum voluimus, an illi dietae per se interesse vellet. Non potuit ad id imperialis sublimitas adduci. Multas attulit rationes. Plurimas causas, plurima impedimenta, quae prohiberent, ne id faceret, dicebat. Recte agi existimandum est, quicquid a iusto imperatore committitur. Obtulit nihilominus imperialis celsitudo se ad eum conventum legatos missurum ex principibus imperii, viros illustres et excellentes, qui merito praesentiam suae maiestatis referrent. Retuli post haec rem omnem ad aures vestras. Dixi non posse flecti caesaream maiestatem, ut se ipsum ad conventum transferret. Quaesivi, an vos nihilominus in proposito permaneretis et prin-

3 tenendum B ferendum M | 4 et animo et corpore B] M om. | 6 nostro B vestro M | nostrae B vestrae M | 7 satisfaceremus B satisfaceretis M | 9 indicetur B M induceretur Ch | 10 eo casu B] M om. | 20 avertit B advertit M | 21 audivit B adiuvit M | 24 tamen] tum Ch | 31 adduci B induci M | 38 permaneretis B remaneretis M

cipum vestrorum praesentiam, si Caesaris legati venirent, polliceremini. Vos neque id quidem polliceri voluistis, immo aperte fassi estis, nisi imperator eo veniret, nihil omnino boni sperandum esse. Quae cum ita sint, nihil iam superest, nisi ut primo tester Deum et sanctos angelos eius ac in eorum conspectu vestras maxime mentes nihil a me, quod imbecillitas mea faciendum intellexerit, praetermissum fuisse; deinde ut M 68^v rem omnem et hunc imprimis minime speratum exitum sanctissimo domino nostro nunc litteris, mox viva voce exponam, ut ille, quem superiore anno non hiems, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, 10 non sumptus immensi, non proprii status discrimin, non senectus, non morbus ingravescens ab hoc negotio retardavit, qui ut republicam christianam tueatur, defendat, custodiat, incolumem conservet, si centum animos haberet, omnes ad hanc rem intenderet, cui populi sui salus dulcior quam propria et fuit semper et est, qui que ita huic rei 15 inhaeret animo, ut de vita potius decidere quam de sententia malit, ille, inquam, possit sua divina sapientia tantarum rerum necessitatibus consulere ac providere et imperatoriae maiestati ac principibus vestris quid ultra faciendum sit, si libuerit, significare. Quod si per me, antequam forte e provincia decesserim, aliud faciendum mandarit, nec recuso, quominus vel in extremo spiritu, si quam opem republicae afferre possem, experiar atque — utinam et iterum utinam liceret me unum pro omnibus hanc indignissimam, quae omnibus imminet, calamitatem haurire — explerem laetissimis animis barbarorum furorem, placarem improborum crudelitatem, perditorum scelus ac perfidiam mei unius 25 sanguine saturarem, modo ex hoc salutem populi Dei secuturam intelligerem.

Epistola

B 94

**Legatorum omnium Germaniae Principum
Ad Bessarionem Apostolicae Sedis Legatum.**

30 Putabamus grata per nos oblata exstisse cunctis diebus, quibus illuc morati sumus, praesertim dummodo ad clare nostra consilia pandenda ad vestrae iussionis vocem in loco habitationis vestrae pridie comparuimus, accersitique per vestram amplitudinem, ut praefertur, motum mentium nostrarum reseravimus nec quicquam, quod conducere aut impedimento 35 esse posset, abscondimus, etiam adeo quod vestra reverendissima domi- B 94^v natio hoc tempore nostram consultationem, nostram considerationem, nostramque familiarem avisationem post plurima humanissima verba non adulando nobis, sed plane dicendo laudavit et probavit, immo

7 minime speratum B insperatum M | sanctissimo B serenissimo M
B = Cod. Vat. lat. 4037. | S = Senckenberg.

BESSARIONIS
IN CALUMNIATOREM PLATONIS
Libri Quattuor.

a) Loci Scripturae Sacrae.

Veteris Testamenti:				
Gen. 1, 1 sqq.	120, 38.	Is. 61, 11..	408, 35.	288, 23.
II Reg. 1, 26.	448, 8.	Os. 11, 10.	90, 30.	294, 29.
1, 26.	466, 11.	II Macc. 15, 14.	106, 8.	296, 12.
Ps. 10, 7.	90, 27.			1, 20.
138, 7 sq.	176, 32.			466, 9.
Prov. 3, 4.	90, 31.	Novi Testamenti:		1, 27.
4, 6 sq.	448, 2.	Matth. 7, 6.	11, 35.	8, 28.
Cant. 1, 10.	444, 32.	12, 25.	542, 29.	466, 24.
2, 5 sq.	444, 34.	24, 36.	100, 34.	I Cor. 12, 15.
2, 14.	444, 35.	Marc. 3, 27.	620, 12.	2, 7.
3, 1.	444, 36.	10, 25.	540, 39.	2, 8.
4, 1-7.	444, 37.	Joh. 1, 3.	278, 36.	15, 33.
Sap. 8, 1.	418, 29.	1, 3 sq.	232, 35.	15, 33.
8, 2.	448, 5.	4, 23.	230, 7.	II Cor. 10, 3.
8, 2.	466, 12.	7, 16.	100, 35.	Eph. 1, 11.
11, 17.	120, 38.	10, 30.	100, 37.	Col. 2, 3.
Is. 60, 1.	408, 35.	14, 28.	100, 33.	Hebr. 11, 1.
		Act. 22, 25-29.	602, 36.	Jac. 3, 8.
				I Petr. 5, 5.
				I Joh. 3, 9.
				5, 18.
				102, 4.

b) Loci Scriptorum.

Aeschyl. Prom. 329.	618, 32.	Aristot.	
Albert. M. Phys. VIII tr. 1. c. 15.	354, 22.	Anal. α 27. 43b, 7—9.	64, 16.
Metaph. XI tr. 2. c. 21.	246, 38.	α 27. 43b, 9—11.	64, 19.
XI tr. 2. c. 28.	388, 16.	α 29. 45b, 36—40.	64, 8.
XI tr. 3. c. 7.	332, 20.	α 29. 46a, 1 sq.	64, 21.
De Nat. et Orig. Anim. tr. 2. c. 1.	366, 4.	α 32. 47a, 2—4.	64, 3.
Alexand. Aphr. Ἀπορίαι καὶ λύσεις I 25		α 41. 49b.	592, 28.
(ed. Bruns II 2, p. 39—41).	168, 26.	γ 10. 76b.	592, 28.
I 25 (II 2, p. 41, 8—15).	168, 35.	§ 2. 90a.	60, 6.
II 21 (II 2, p. 66, 22—25).	170, 8.	Top. γ 1. 116b, 26 sq.	252, 34.
II 19 (II 2, p. 63, 10—28).	170, 23.	ζ 8. 146b, 14—16.	254, 24.
II 21 (II 2, p. 68, 20—24).	170, 12.	Phys. α 2. 184b, 15—17.	202, 13.
II 21 (II 2, p. 70, 33—71, 2).	178, 34.	α 2. 184b—185a.	202, 17.
De Fato c. 1. (ed. Bruns p. 164 sq)	194, 39.	α 2. 184b, 15—17.	202, 36.
c. 6. (171, 14—26).	166, 21.	α 2. 185a—b.	392, 37.
Ambros. De Fide I 10		α 3. 186a—187a.	136, 15.
(PL 16, 543 C; 547 A).	284, 7.	α 3. 187a, 10—12.	202, 39.
Amelius	100, 15.	α 4. 187a, 17—19.	362, 29.
Anthol. Palat. 5, 129.	500, 29.	α 4. 187a, 34.	130, 8.
Aristid. Ὑπὲρ τῶν τεττάρων		α 8. 191.	324, 30.
II 384.	50, 39.	α 8. 191a.	326, 5.
		α 8. 191b, 13—16.	130, 11.

Wörtliche Zitate sind mit » «, Anlehnungen mit » « im Text gekennzeichnet.

Arist. Phys.

- α 8. 191b, 27—29.
 α 8. 191b, 30 sq.
 α 9. 192a, 29 sq.
 α 9. 192a.
 β 1. 192b.
 β 2. 194a, 31 sq.
 β 2. 194a, 31 sq.
 β 2. 194a, 33—36.
 β 2. 194a, 34 sq.
 β 3. 195a, 23—26.
 β 4—6. 195b—198a.
 β 7. 198a, 35-198b, 4.
 β 9. 200a, 30-200b, 4.
 ε 6. 230a, 31 sq.
 ε 6. 231a.
 η 3. 247b, 9—13.
 θ 5. 256a—258b.
- De Caelo** α 1. 268a.
 α 1. 268a, 7—10.
 α 1. 268a, 9—10.
 α 1. 268a, 9—13.
 α 1. 268a, 14 sq.
 α 2. 269a, 4—17.
 α 8. 9. 276a—277b.
 α 9. 278a.
 α 9. 279a, 15—28.
 α 9. 279a, 19—22.
 α 9. 279a, 29 sq.
 α 10. 279b, 32 sq.
 α 10. 280a, 28—34.
 α 10—β 1. 279 sqq.
 α 12. 281a—283b.
 α 12. 283a, 25.
 β 1. 284a, 7.
 β 1. 284b, 3—5.
 β 2. 285a, 29 sq.
 β 2. 285a, 29—31.
 β 3. 286a, 11.
 β 4. 286 sqq.
 β 6. 288a, 34-288b, 1.
 β 7. 289a, 14 sq.
 β 12. 292a, 18—21.
 β 12. 291b, 25—28.
 β 12. 292a, 14—18.
 β 12. 292a, 1.
 γ 2—5, 300 sqq.
 γ 7, 306, 16 sq.
- Περὶ Γεν. καὶ Φθορ. α 3. 318b.**
 α 5. 321b, 21 sq.
 β 10. 336a, 15sq.
 β 10. 336b, 27—32.
 β 10. 336b, 31sqq.
- Metereol.** α 2. 339a, 21—33.
 α 14. 352, 28—31.
- DeMundo** 6. 397b, 20—30.
 6. 397b, 29 sq.
- De Anima** α 2. 405b.
 α 4. 408b, 13—15.
 α 4. 408b, 18 sq.
 α 4. 408b.
 β 2. 413b, 25—27.
 β 4. 415a, 26—28.
 β 4. 415b, 18—21.

- 130, 14.
 130, 16.
 326, 4.
 130, 18.
 256, 31.
 310, 7.
 318, 39.
 256, 14.
 260, 29.
 252, 20.
 348, 34.
 252, 40.
 258, 14.
 196, 16.
 58, 32.
 412, 9.
 268, 8.
 316, 3.
 92, 38.
 94, 10.
 92, 16.
 106, 31.
 58, 33.
 312, 20.
 392, 36.
 268, 36.
 276, 9.
 338, 31.
 372, 5.
 372, 5.
 60, 7.
 406, 28.
 334, 28.
 106, 33.
 106, 34.
 106, 37.
 252, 13.
 108, 1.
 68, 26.
 252, 11.
 108, 1.
 252, 9.
 218, 10.
 218, 12.
 108, 5.
 70, 27.
 254, 16.
 204, 2.
 304, 36.
 350, 4.
 248, 22.
 360, 21.
 250, 25.
 196, 10.
 340, 42.
 250, 14.
 256, 36.
 340, 25.
 408, 17.
 404, 23.
 376, 43.
 254, 22.
 256, 23.

Arist. De Anima

- β 4. 415b, 18—22.
 β 4. 416b, 24.
 γ 4. 429b, 12 sq.
 γ 4. 429b, 10—14.
 γ 4. 429b, 15—18.
 γ 5. 430a.
 γ 5. 430a, 10—14.
 γ 10. 433a, 26.
 γ 10. 433b, 27—29.
 γ 11. 434a, 13.
Περὶ Αἰσθ. καὶ Αἰσθητ.
 4. 442a, 4 sq.
De Hist. Anim.
 α 1. 488a, 8—10.
 α 2. 497a, 13 sq.
De Part. Anim.
 α 5. 644b, 32 sq.
 β 1. 647b, 4—7.
 β 4. 650b—651a.
 γ 14. 675b.
 δ 13. 677b, 16—18.
Περὶ Ζώων Κτv.
 6. 700b, 35-701a, 1.
 7. 701b, 20 sq.
Περὶ Ζώων Γεν.
 β 3. 736.
 β 3. 736b, 24.
 β 3. 736b, 29—34.
 β 3. 736b—737a, 1.
 β 3. 737a, 8—14.
Probl. κείμενον 14. 941b.
 λ' 953a, 10—12.
Metaph. α 4. 984b—α 5. 986 b.
 α 5. 986b, 27 sq.
 α ἔλαττον 1. 993b, 11—19.
 β 3. 999a, 12.
 ε 8. 1012b.
 δ 12. 1020a, 5.
 δ 16. 1021b, 24 sq.
 ε 1. 1026a.
 ε 3. 1027a.
 ζ 10. 1034b—1035a.
 ζ 10. 1035a, 27—31.
 ζ 11. 1037a, 5—10.
 ζ 13. 1038b.
 ζ 15. 1039b—1040b.
 η 3. 1043b, 7—13.
 η 6. 1045a, b.
 θ 2. 1046a, 10sq.
 λ 4. 1070b, 33 sq.
 λ 7. 1072a.
 λ 7. 1072a—1073a.
 λ 7. 1072b, 14.
 λ 7. 1072b, 29.
 λ 7. 1072b—1073a.
 λ 7-10. 1072a—1076a.
 λ 8 sq. 1073a—1075a.
 λ 8. 1074a, 31—38.
 λ 9. 1074b.
 λ 10. 1075b—1076a.
 λ 10. 1076a, 3.
 μ 1. 1076a, 4.
Eth. Nic. α 5. 1097a.